

103

101

107

097

112

092

152

052

202

002

Ende

Anfang

88

et navigio per vicos civitatis ambulavimus, usque ad S. Marcum et ibi juxta Ducis Venetorum Palatium ad canale magnum navigavimus, in quo stabant amborum patronorum galæae, ut eas (**34 A**) ambas videremus. Primo ergo navigavimus ad galæam domini Petri de Lando, et de barca, sursum in galæam scandimus et placuit primo aspectu navis Dominis et mihi, quia erat galæa triremis magna et lata, et cum hoc nova et munda. Nobis in galæa deambulantibus venit dominus Petrus Lando patronus in barca, et nos cum reverentia magna suscepit, et in navis castello collationem pretiosam instauravit, propinando vinum creticum, et confecta alexandrina; et per omnia tractavit nos, sicut illos quos ducere secum optabat. Deinde duxit nos in carinam deorsum per gradus ad locum peregrinorum, et tantam amplitudinem carinae in potestatem nostram posuit, ut eligeremus locum, in quocumque latere vellemus, pro XII. personis. Perspecta autem galæa illa diximus patrono, quod die crastina vellemus ei dare responsum, an cum eo essemus mansuri, vel cum alio; et ita descendimus in barcam, et ad aliam galæam domini Augustini navigavimus eumque in ea sedentem reperimus. Qui cum magna veneratione nos suscepit, et per galæam circumduxit, et optionem loci pro XII. hominibus exhibuit, et etiam collationem vini et confectarum praebuit, seque fidelem nobis futurum promisit. Me autem optime novit et testimonium suae probitatis et fidelitatis ad me remisit, dicens: ecce Frater Felix capellanus vester scit, qualiter me ad peregrinos habeam, dicat queso ergo veritatem, et placebit manere mecum. Perspeximus galæam et non tantum placuit sicut alia, quia erat biremis, et minus ampla, et cum hoc antiqua et foetida, in qua prius mare transivi, et multa in ea sustinui incommoda. Et visa galæa in nostra barca reversi sumus in nostrum hospitium.

Tricesima et ultima die mensis Aprilis audivimus Missam in hospitio, quia quidam magnus dominus de Austria non peregrinus hospitabatur nobiscum, cuius capellanus Missam in domo dixit. Post Missam consedimus simul nos XII. ad delibrandum, cum quo patrono vellemus manere, et quo pactu conventionem inire conveniret. Placuit autem Dominis manere cum domino Petro Lando in sua triremi. Mihi vero melius placuisset

